



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas V. An Ratio Formalis Quæ Fidei debeat esse Excedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

OBJICITUR Quinto. Fides potest esse imperfecta, quæ imperfectio in eo erit, quia proponetur solum probabilis connexio, DEI loquentis verè, cum objecto, qualis est apprehensio Deitatis, ut ab attributis distincta: in qua, non elucet manifesta conjunctio Deitatis, sumptæ pro radice veridicitatis, cum objecto testificato.

RESPONDETUR. Est manifesta conjunctio Deitatis, sumptæ pro radice veridicitatis, cum objecto testificato: non enim probabile est, sed certum, veritatem radicalem seu in essendo, mentiri non posse. Imperfecta ergo illa fides non in moventem radicalem veritatem, sed in multa in contra occurrentia rejici debet. An autem concedi possint Actus fidei infirmi, de hoc infra.

ADDo hîc, qui non tenent Præcisiones objectivas, per illos Deitatem etiam independentem à formalitate radicalis veritatis formalisare & quidem formaliter fidem: quia hæc non præscinditur; & sub aliis formalitatibus respondet Deitas: ad eum modum, quo per illos peccatum factum contra naturam rationalem, est formaliter Theologicum, quia sub natura rationali, formaliter continetur DEUS.

DIFFICULTAS V.

An Ratio Formalis Quæ Fidei debeat esse Excedens?

Meminit aliquoties S. Thomas objecti Fidei cum addito excedentis. Dicit enim S. Thom. Prima Secundæ q. 62. art. 2. *Objectum inquit Theologicarum virtutum* (inter quas est fides) *est ipse Deus, qui est omnium rerum finis, prout nostra rationis cognitionem excedit*, & ad 2. ibidem Theologicam virtutem esse circa ea, secundum quod rationem humanam excedunt & art. 3. ad 2. *habere inquit fidem & spem, de his quæ sunt supra facultatem naturæ humanæ, excedit omnem virtutem homini proportionalem.* Ex quibus verbis pullulat quaestio: An ratio formalis Quæ fidei, (quamquam id alii etiam ad materiale extendunt,) debeat, habere rationem Excedentis.

EXPLICANT. Hanc veritatem excedentem sic. Omnis certitudo ac veritas cognitionis creatæ, fundatur in veritate prima DEI; sicut enim esse creatum, est participatio Divini esse, sic etiam quæ accidunt Creaturis, sunt participationes attributorum Dei: v. g. Humanitas est participatio Divinitatis; humanitatis virtutes, sunt participationes potentiarum Divinarum; humanitatis duratio, est participatio æternitatis Divinæ. Ergo etiam & certitudo & infallibilitas assensus creaturæ, fundabitur in veritate prima. Quia autem quædam infallibilitas ac certitudo cognitionis creaturæ, est debita creaturæ; quædam autem est supra existentiam illius; ideo etiam duplicem, secundum modum nostrum

cognoscendi, veritatem in DEO apprehendimus; unum quidem, quæ sit principium infallibilitatis super excedentis omne debitum Creaturæ, altera quæ principiat debitam certitudinem, saltem alicui possibili Creaturæ. Et hujus quidem certitudinis principium est, tribuendo vires cognoscitivas debitas creaturis; objectis verè vim motivam naturalem potentiarum cognoscitivarum, & præstando concursum naturalem. Si autem præstet vires supernaturales & concursus supernaturalis; habebit DEUS rationem veritatis, vel dicentis supernaturalis. Ut de hac doctrina sic explicata statuatur.

DICENDUM est. Licet ad actum fidei excedentem, concurrat veritas prima formalisativa fidei Theologica, ponere tamen motivum formale veritatem primam prout excedentem; ut ratio excedentis teneat se penes motivum, nulla est necessitas. Prima pars Conclusionis: Nempe quod veritas prima concurrat ad actum fidei excedentem alibi probatur: quia scilicet actus excedens, est actus supernaturalis ut explicans supponit, & ostendunt dicta de supernaturalitate. Sed veritas prima, concurrat ad actum fidei supernaturalem. Ergo concurrat ad excedentem. Secunda pars.

PROBATUR Primo quia S. Thom. hîc quaest. 1. art. 1. discurrens de objecto formali fidei, ponit veritatem primam sine ullo addito.

PROBATUR Secundo. Quia est inexplicabile, posito quod ista excedentia teneat se à parte motivi formalis, ad quidnam deserviat, idque necessariò: nam non deservit ad efficiendam producendamque rationem actus excedentis in fide: quia motiva formalia, non producunt physicè actus, sed in genere causæ formalis extrinsecæ: productioque illorum, spectat ad intellectum & habitum supernaturalem. Non item deservit ad rationem ipsam salvandam motivi requisiti ad actum supernaturalem: quia motivum formale, & objectum formale sunt idem; diximus autem in materia de Ente supernaturali, ab objectis, non desumi supernaturalitatem. Non est etiam necesse ponere veritatem primam excedentem pro motivo, ut sic fiat actus supernaturalis ex ordine suo infallibilis: quia Supernaturalitas, non est infallibilis ex suo ordine: nihil enim repugnat, dari probabilitatem supernaturalem; & opinionem supernaturalem. Si autem per ly, ex ordine suo infallibilis, intelligatur; quia scilicet supposito quod DEO dicenti innitatur, qui est summa veritas, summam infallibilitatem habebit. Sed ad hoc etiam ponere veritatem primam excedentem, pro motivo formali, impertinens est. Ratio quia etiam si aliquid diceret Deus, prout est veritas prima non excedens, adhuc illi infallibiliter assentiri possemus: quia tam excedens quam non excedens infallibilitas Divina, ab eodem

(c) 4 defu-

desumuntur nempe essentiali determinatione naturæ Divinæ, ut nec mentiri, nec falli possit.

PROBATUR Tertio. Tum quia objectum formale fidei, debet poni, stans in ipso met Deo, & non involvendo aliquid creatum; ratio autem excedentis, vel non excedentis, desumitur ex comparatione ad creaturam. Tum quia revelatio passiva, non ingreditur formale fidei, ut infra videbitur. Ergo nec ratio excedentis. Tum quia si nihil obsit, maximè debemus exaltare Deum; magis autem exaltabitur, si ratio veritatis illi intrinseca, sine ulla desumibilitate excellentiæ ab alio extrinseco, æquè sufficiat ad formandam fidem, merendumque assensum infallibilem. Ratio autem excedentis habetur non nisi ratione alicujus extrinseci.

Obijcitur Primo. Autoritas S. Thomæ in oppositum ex quæst. 62.

RESPONDETUR. Illo loco non plus velle S. Thom. quàm quòd primaria objecta fidei sint talia, ut ad illa lumen naturale, sine præsupposita revelatione pervadere non possit, ut ad mysterium Trinitatis. Sed inde non sequitur, quòd veritas prima, illa objecta attestans, in ipsa ratione formali motivi, debeat habere rationem excedentis.

INSTABIS. Saltem fidei pro habitu ænigmatico sumptæ objectum, erit veritas prima excedens: quia etiam visionis Beatæ objectum, est Deitas excedens.

RESPONDETUR. Excedentiam illam visionis hoc sensu admitti: quia nullus est intellectus, qui possit connaturaliter, & actu naturali attingere Deum prout est in se, ubi etiam supernaturalitas tenet se à parte actus, & non à parte motivi.

Obijcitur Secundo. Virtus quæcunque Theologica, ordinat hominem in Beatitudinem supernaturalem. Sed si fides non respiceret veritatem primam excedentem, non ordinaret hominem in Beatitudinem supernaturalem; non enim ordinaret in cognitionem finis supernaturalis: præcipuè cum DEUS, ut est principium rerum naturalium, non sit finis supernaturalis.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Ordinatio enim in cognitionem finis supernaturalis, non exigit motivum excedens: præcipuè quia tota ordinatio in beatitudinem supernaturalem, est ab ipsamet supernaturalitate, quæ non desumitur ex motivo.

INSTABIS ex Scoto. Potissimam rationem fidei esse versari circa Trinitatem; hanc autem nihil continet nisi veritas prima excedens: quia nullus effectus inducit in cognitionem Trinitatis.

RESPONDETUR. Negando Minorem: quia licet creata non inducant nos in noticiam Trinitatis, sufficit illam notificari à veritate prima, nullaque est necessitas, ut excedentia, teneat si à

parte motivi. Unde si ordinasset Deus crediti mysterium Trinitatis actu naturali, licet propter se dicentem, foret ille actus infallibilis, licet non excedens. Quod autem dicitur, fidem vocari supernaturalem, quia est de ratione objecti supernaturalis in fide, non desumatur ab objecto.

Obijcitur Tertio. Veritas prima excedens, non potest esse principium cognitionis, quæ non sit vera: veritas autem prima non excedens, in quantum non excedens, hoc est, agens secundum exigentiam ac vires debitas Creaturæ, potest esse principium cognitionis, quæ non sit vera; ut patet in cognitionibus probabilibus, habitus autem fidei est talis; qui tum ex vi speciei, cum ex vi ordinis, non potest esse principium falsi: quia quamvis habitus scientificus, in sua specie, non possit esse falsus, non tamen ex vi ordinis: quia est in ordine naturali, qui fallibilitatem patitur.

RESPONDETUR. Concedo veritatem primam non excedentem, posse principiare hoc est, comproducere physicè cognitionem quæ non sit vera. Nego autem veritatem non excedentem, quæ sit per modum attestantis, posse esse principium falsi. Transeat idem, quòd veritas excedens, non possit comproducere physicè cognitionem, quæ non sit vera. Sed inde non sequitur motivum formale debere esse veritatem excedentem: quia ratio motivi formalis, non habet rationem producentis actus. Dicitur transeat: quia posset dari opinio supernaturalis, ad quam concurreret Deus, sub formalitate excedentis.

INSTABIS. Apocal. 20. dicitur: Ecce nova facio omnia. Ergo & objectum fidei novum: quomodo autem novum, si non excedens?

RESPONDETUR. Non satis apparet quomodo in novo Testamento sit novum motivum fidei, cum in utroque fuerit fides infallibilis: adeoque & motivum infallibile: diximusque superius, nato Christo, permansisse eosdem habitus. Salvabitur ergo illa novitas fidei, ob admissos Gentiles ad fidem. Cæterum hoc sensu admittimus veritatem primam excedentem, quòd licet ad fidei Theologicæ actum, nunquam moveat veritas prima, nisi dando ei veritatem summam & excedentem quamcunque creaturam.

Sub hoc titulo decidendum est id, quòd proponit universaliter de omnibus virtutibus Theologicis quæst. 4. Esparza. An sit de ratione illarum, ut sint prælatio Dei super omnia. Et quidem si præstetur hæc prælatio ratione motivi, indubiè illis convenit: quia habent pro objecto Deitatem, cui prælatio super omnia convenit. Sed quia actus supernaturalis & naturalis possunt inniti eidem motivo, non apparet quæ prælatio Theologicis virtutibus conveniat. Ratio, Si enim esset aliqua prælatio, esset inter quòd ita præferretur; vel Auctoritas per assensum.

R. P.
THE MLO
zianowski
Tom. I. c. 2
D. VI

sum, vel Bonitas per amorem; ut animus ex vi hujus actus, paratus sit contemnere, cætera omnia repugnantia vel assensui vel amori: Sed hoc potest etiam habere actus naturalis, innitens v. g. veritati Divinæ.

S. Thom. qui in oppositum citatur non habet plus, quam quod virtutum Theologicarum obiectum sit in genere suo summum v. g. Auctoritas summa, Bonitas summa, &c. Sed Negatur, ab iisdem, actum naturalem specificari non posse. Dantur quidem veritate Theologicæ ut feramur in Deum tanquam ultimum finem supernaturalem, sed dantur, ut feramur supernaturaliter. Nam actu naturali, etiam in finem supernaturalem, ferri possumus. Et sicut dantur gratiæ supernaturales ad agendum supernaturaliter; ita dantur naturales, vel saltem non repugnat eas dari, ut attingant illum finem supernaturalem, naturaliter.

Nequæ valet, si dicas cum Esparza: quod cum agitur de vigore naturæ, sub ea voce universalis, solum comprehendantur omnia naturaliter occurrentia in contrarium. At amor supernaturalis ita amat, ut præterea superet omnia etiam supernaturaliter occurrentia in contrarium: & pollet viad ea superanda, pro adimplerione præceptorum supernaturalium, quod est longe difficilius. *Non inquam valet;* quia potest fieri actus naturalis, qui velit etiam supernaturaliter occurrentia, ne DEO v. g. dicenti credatur, superare, idque cum auxilio gratiæ, ordinis naturalis. Ergo hæc superatio supernaturaliter occurrentium, quæ est fundativa istius prælationis in fide Theologica, est quid commune etiam actui naturali; atque adeo ista prælatio non debetur soli virtuti Theologicæ ut voluit Esparza.

QUÆSTIO III.

De Ratione formali Fidei propter Quam.

PRÆMITTO Primò. *Prædictum titulum sub hac præfati ab Auctoribus tractari:* Quodnam sit ultimum resolutorium fidei? quid autem veniat nomine resolutorii supra dictum.

PRÆMITTO Secundò. *Debere ponitur etiam in fide motivum assensus seu rationem* Propter quam, adeoque ultimum resolutorium.

RATIO: quia & esset ille assensus, & non esset assensus, esset ut supponitur, non esset autem, quia assensus nullo alio distingui potest à simplici apprehensione, transireque in secundam vel tertiam operationem, nisi ratione motivi. Tum quia per ipsum Gvilhelmum Parisiensem & per Rubionem saltem debet intercedere motivum obediendi Deo. Ergo adhuc ille assensus, non erit sine motivo; hoc autem motivum non sufficere velexinde ostenditur: quia obedientia spectat ad voluntatem, motivumque illius non est constitutum virtutis Theologicæ. Tum quia Rationes in oppositum non convincunt: lauda-

bilitas enim fidei, non est in assentiri sine motivo, sed in assentiri sine evidentia; & tamen infallibiliter, & æqualiter omnibus; defereturque adhuc in hoc assensu plus Deo, quam hominibus, quia deferetur firmior assensus; falsumque est quod possit præcipere Deus assensum sine motivo: quia non potest præcipere rem impossibilem, & constitutum sine constitutivis. Jam autem assensus quod sit ob motivum, per hoc constituitur.

PRÆMITTO Tertiò. *In quo sit punctus Difficultatis in præfati:* Credo v. g. sub speciebus Sacramentalibus esse Corpus Christi, hæc veritas non est nota ex ipsis terminis. Ergo illi assentiri debeo propter aliud: nempe quia hoc Deus dixit; hæc ipsa propositio, non est nota ex terminis. Ergo etiam illi non possum assentiri nisi propter aliud; quid ergo est illud aliud? Si aliud humanum; ergo resolvīs fidem Theologicam & infallibilem, in aliquid non Theologicum & fallibile. Si resolvīs in Divinum testimonium, quæro an sit distinctum à priori an idem? si idem, ergo nihil respondisti. Si aliud, de ipso illo alio testimonio redit difficultas, cum non sit ex terminis notum. Unde vel dabis processum in infinitum in testimoniis, vel tandem debebis respondere, non per testimonium, in quo aut non salvabis rationem Theologicam, aut non salvabis, quomodo sit notum ex terminis, quod tamen in omni resolutorio videtur requiri. *His præmissis, sit*

DIFFICULTAS I.

Examinantur aliorum sententiæ.

PLures post alios sententiæ refert Amicus disp. 9. & Lugo disp. 1. & alii. Seligentur aliquæ:

EXPLICAT Primo Pontius disp. 27. num. 7. Si loquamur de ultimo motivo formali ipsiusmet fidei ultimo, resolvitur in ipsam revelationem Divinam, vel solam vel cum veracitate. Si vero loquamur de ultimo motivo, quo inclinamur ad judicandum, quod existat revelatio Divina, non habetur idem motivum in omnibus fidelibus. Nam interdum sunt motiva credibilitatis, interdum Auctoritas & testimonium hominis fide digni. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia: si motivum formale ipsiusmet fidei, idque ultimo resolutive est revelatio Divina, quæro an hæc propositio Deus revelavit, sit ex terminis nota? Si non est ex terminis nota. Ergo illi assentior non nisi propter aliud, adeoque non erit illa ultimum resolutorium. Si est ex terminis nota, ostende hanc evidentiam; & si illam ostenderis, ostendes intrinsecam connexionem terminorum, si quæ est, quæ ipsa connexio, ex dictis supra, non spectat ad fidem. Tum quia illud ipsum iudicium, quod iudico existere revelationem, potest esse actus fidei; Ergo habebit motivum fidei, quod docet Pontius, esse revelationem.